

cationem
sterum il-
pergas,
te quoti-
ad Deum
a ingraue-
z corporis
ia integra



PRÆFATIO.



Ura, quæ Statum publicum qua-
rumcunque Rerumpublica-
rum dirigunt, duplicis esse
generis, vniuersalia, scilicet
& particularia, ita ut hæc qui-
dem cuius reipublicæ propria, illa vero
omnibus sint communia, in vulgus notum
est. Cum vero particularia tantum vniuersali-
bus superaddita sint, inde statim apparet,
fundamentum omnium quæstionum, quæ
huc spectant, ex vniuersali, hoc est, iure na-
turæ petendum esse, & ita in addiscendo iu-
republico particulari initium ab vniuersali esse fa-
ciendum. Quemadmodum vero in iure pri-
uato hæc inuersa methodus ab eruditiori-
bus iam notata est, quod plurimi, derelicto
studio iuris naturæ, statim scita particula-
ria iuris Romani excolere studeant; ita ea-
dem fata in plerisque Academiis studium iu-
ris publici hactenus habuit, vt, qui huic se
dederunt, illotis manibus, illud aggressi
fuerint, satis esse putantes, si leges publicas

PRÆFATI.

fundamentales , & obseruantias imperii , vt vocant , summo studio euoluerent , de quibus tamen digne iudicare haud possunt , si fundamenta omnium rerumpublicarum , neminem ciuilem , statum eorundem varium , & quæ hoc spectant , susque deque habuerint . Et qui aliter fieri potuit , cum plures publici iuris Doctores , quibus disciplina huius iuris vniuersalis commendata esse debebat , illam vel contemnunt , vel ut superfluam & minus necessariam iudicent , nullam quæstionem iuris publici esse afferentes , quæ non ex diplomatibus vel antiquitatibus historicis vel legibus aliis fundamentalibus decidi possit , in quo tamen se aliosque decipiunt . Dandus est vtique aliquis locus diplomatibus in iure publico particulari : adhibendæ quoque in subsidium antiquitates ; sed sicuti hæ plerumque obscuræ , incertæ , & mirificis contentionibus obnoxiae , illa vero variis interpretationibus subiacent , sæpe ~~vniuersitas~~ vitio laborant , & in dubium vocari possunt , ita , vt de hisce recte iudicari possit , adferenda sunt necessario hæc fundamenta vniuersalia , quæ animum optime præparant , simulque præcauent , ne in tot confusiones , contradictiones aliosque scopolos incidamus . Illi itaque demum meo iudicio ius publicum particulare quarumcunque rerumpublicarum recte aggrediuntur , qui præter notitiam status publici iure publico vniuer-

PRÆFATI.

uersali satis tincti præparatique sunt, quia ita inoffenso pede & facilissimo studio ad metam peruenire possunt, quam alias vel nunquam vel saltim non sine magno labore pertingunt. Evidenter obseruaui, in plurimis compendiis iuris publici particularis plerasque doctrinas *iuris vniuersalis* publici immisceri & explicari, sicuti in iure priuato nostro capita iuris naturæ integra euoluuntur & excutiuntur, ex hac ratione, quam ipse Imperator suppeditat, quod ius nostrum priuatum sit collectum ex iure naturæ gentium & ciuili. Sed cum omnis disciplina potissimum *adæquata methodo* se commendet, nec videndum sit, quid Romæ factum sit, sed quid fieri debuerit, ante omnia dispicendum est, an hoc bene & secundum leges bonæ methodi fiat? Constat sane, iuris consultos solidiores hunc næuum in *iure priuato* iam perstrinxisse, quod contraria methodo iura priuata in academiis studiosæ iuentuti tradantur, illaque ita illotis manibus ad ius Romanum perducatur, vt postea recte dignosci nequeat, quæ *iuris naturæ* capita sint, & quæ ex *civilis ratione* profluxerint. Omnes largiuntur, rhapsodiam nostram iuris Romani esse constructam ex conclusi-
nibus iuris naturæ & scitis ciuilibus, & hæc quidem esse vel *pura*, quæ sola ratione ciuili constat; vel *mixta*, quæ in iure naturæ quidem fundata sunt, sed quædam *addita-
menta*

P R E F A T I O .

menta ciuilia acceperunt. Inde leges ciuiles dicuntur , quæ nec in totum a iure naturæ recedunt, nec in eo vnicē subsistunt, sed vel aliquid addunt vel detrahunt. Cum itaque conclusiones iuris naturæ ex proprio foro , hoc est , ex principiis iuris naturæ sint demonstrandæ & deducendæ , ciuiles vero leges ex rationibus ciuilibus ; in pro patulo est , ita demum ad solidam eruditio nem in iure priuato perueniri posse , si naturalia a ciuibus sedulo separantur , & quælibet ex propriis explicantur principiis. Id ipsum autem aliter commode fieri nequit , nisi antea iuris naturæ disciplina præpare tur animus , & post demum ad iuris Romani compilationem euoluendam perducatur , cum hac via singula facile secerni , & additamenta iuris ciuilis a conclusionibus iuris natu ræ distingui possint. Hunc in finem quo que necesse est , vt in singulis materiis primo ostendatur , quid ius naturæ hac de re disponat , & quid ius Romanum illi superaddiderit , vt naturalia & ciuilia semper distincto ordine tradantur. Hac enim qui non incesserit methodo , in eundem labyrinthum & scopulos eum incidere necesse est , quos euitare non potuere glossatores & commentatores antiqui , qui , seposita doctrina iuris natu ræ , ius Romanum illustrare voluerunt. Hi enim tot controuersiis inter se dissident , vt non rationibus , sed autoritatibus : non iudicio sed

PRÆFATI.

eges ciuilis;
ure natura
sistunt, sed
t. Cum it
e ex proprio
iuris natura
dæ, ciuile
bus; in pro
am eruditio
posse, si nat
ur, & quæ
principiis. Il
fieri nequit,
ina præpare
iuris Roman
perducatur,
cerni, & ad
bus juris nat
in finem quo
materiis prim
c de re dispe
peraddiderit
istincto ordi
non incessere
thum & scop
, quos euitate
commentatores
ina juris nat
are voluerunt
er se dissident
ibus: non iudic
sed credulitate: non modestia, sed probris inter
se pugnant. Sunt homines a natura illa com
parati, vt magis credere quam iudicio proprio
vti velint, quod in iure imprimis præca
uendum est iis, qui felices progressus in eo
facere student. Eadem fata habet studium
iuris publici particularis, in quo plerumque il
la, quæ ex iure publico vniuersali supponenda
erant, traduntur, & explicantur, omissis
sæpe capitibus principalioribus iuris parti
cularis, vel leui digito saltim tactis. Et
cum in iure Romano quoque plures con
clusiones iuris publici vniuersalis occur
rant, vbique in huiusmodi materiis ad il
lud prouocant, suas decisiones exinde pro
bant, indeque usum iuris Romani in iure
publico deducere conantur, cum tamen
huiusmodi doctrinæ non ideo iuris Romani di
ci possint, quod in eo repetitæ fuerint,
multo minus inde usus iuris huius colligen
dus sit, quod æque ad statum rei Germa
nicæ applicari possint; nam iuris vniuersa
lis conclusiones omnibus rebus publicis com
munes sunt. Unde, quod nonnulli iuris
publici Doctores voluerunt, in subdium re
currentum esse ad ius Romanum, oppido fal
sum est, cum potius ad ius publicum illud,
quod in omnibus ciuitatibus colitur, & ob
seruatur, respiciendum sit. Falluntur,
qui putant, eandem adhuc hodie esse Mo
narchiam, quam Imperatores Romani te

nue.

P R A F A T I O .

nuerunt, & ita easdem leges adhuc locum habere posse. Bene HOTTOMANNVS in Anti-Tribonia C. II. Non omnes Monarchiæ, non omnibus in rebus nec ubique uno eodemque modo exercentur. Haec potestate & authoritate sunt solutiore, illæ strictiore continentur: harum ampliores sunt termini, latiusque imperium, illæ contractiores sunt & angustiores: haec plures magistratus militares habent, illæ plures, quorum in pace usus est: haec gens militiae addicior est, illa litibus. Et consequenter unius Monarchiæ leges saepe inutiles sunt alteri, haud secus quam medicamenta non quævis quibuslibet hominibus conueniunt, ut et eiusmodi sexus, ætatis & nationis sint. Constat itaque, illa, quæ in iure Romano traduntur, statum publicum respiciuntia, esse vel ex hac disciplina iuris publici vniuersalis desumpta, vel ad peculiarem statum Monarchiæ, quæ eo tempore obtinuit in imperio Romano, referenda. Haec minus recte ad statum rei Germanicæ, ab antiquo rei Romanæ statu longe diuersum, applicantur, aut ad illud in subfidium æque inconuenienter recurritur, ac si leges fundamentales alterius cuiuscunque Monarchiæ in usu iuris publici nostri imperii trahere velim. Illa autem usum quidem præstant in nostra republica in subfidium, sed non ideo, quod in iure Romano deprehendantur, verum quia ex iure publico vniuersali hausta sunt, & usum in quacunque republica præstare possunt.

Quem-

PRAEFATIO.

Quemadmodum vero I^Cti in controuer-
siis iuris publici minus recte in subsidium refu-
gium suum ad ius Romanum habuerunt, ita
Decretistæ, vti vocantur, æque turpiter se
dederunt, quod controuersias hasce ex ca-
nonibus conciliorum, patrum placitis, Pon-
tificum decretis, aliisque scitis canonicis
decidere haud erubuerint, quæ tamen, vti
in ipsa introduktione hac ostendi, plane *iuri*
publico *vniuersali* repugnant, & vnicē huc ten-
dunt, vt imperantium sacrosancta autoritas
aulæ Romanæ decretis subiiciatur, & su-
perstitionis huiusmodi dogmatibus concul-
cetur. E re cleri Romani vtique fuit, ius
publicum vniuersale penitus proscribere,
& illis notam hæreseos inurere, qui ad hoc
prouocare ausi fuerint. Sensit statim fulmen
aulæ Romanæ HVGO GROTIUS, cum hoc
ius ex tenebris in lucem protraheret, quem
conatum adeo concoquere haud poterant
aulæ Romanæ proceres, vt mox grauissi-
ma censura in librum eius *de iure belli & pacis*
animaduerterent. Sed extulit tandem ca-
put suum veritas, & in plenam libertatem
fese vindicauit. Desino plura de *utilitate*
huius disciplinæ addere, quam in parte ge-
neralic. V. satis superque iam ostendi.

Non itaque longe mihi sunt arcessendæ
rationes, quibus permotus hanc *introductio-*
nem ad ius publicum vniuersale scripserim. Ipsa
doctrina sua *utilitate & necessitate* se satis
com-

PRAEFATIO.

commendat , & ab aliis quoque exulta est.
Vnicum tantum ratione *methodi* monendum
esse e re duxi , videlicet me summa rerum
capita breuissimis thesibus inclusisse , am-
pliorem autem exegesin in *notis* subiecisse ,
& quidem ex hac ratione , vt eo magis *com-
pendii* rationem habere , simulque his , qui
demonstraciones , exempla , sententias ve-
terum , flosculos , aliaque ornamenta desi-
derant , inseruire possit. Methodus facili-
or appareat , si theses inter se vna connexio-
ne menti nostræ obiiciuntur ; quæ vero il-
las exornant , separatim ponuntur. Non
vnus omnium idemque gustus. Alii nihil
appetunt , nisi quod sententiis veterum ex-
ornatum est ; alii has negligunt , & verita-
tem nudam , omni testimonio destitutam ,
amplectuntur. Id itaque agendum esse exi-
stimaui , vt me ad singulorum captum ac-
commadarem. Pro libertate academica
scripsi , ea modestia contra dissentientes
vñsus , quæ in scriptore ingenuo desidera-
tur , & ita confido , meas doctrinas nemini
offendiculo fore. Hisce fruere B. L. & va-
le. Dab. in Acad. Fridericiana d.
XXIV. Aug. MDCCIX.



(a) laboran

b) Ius naturæ est
in genere applica-
tus in libertate
videlicet cum in lib-
ertate fruere, ius
civis inhibetur
quatenus non in
omnes in determina-
tione, ex
positum habeatur.
Iustitiam ius